



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 22. Harflevii urbis expugnatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. Rothomagensem, Lexoviensem, Bajocen-
A.C. 1449. sem, & Constantiensem Episcopos una-
 cum Primoribus Urbis in Caroli conspe-
 ctum duxit, a quibus Rex, cum portam
 Bellovacensem ingrederetur, & prope Ec-
 clesiam Beatæ Virginis equo descen-
 disset, gratulatoria oratione exceptus est.
 Talbotus Anglicæ militiæ Præfectus,
 qui obses retinebatur, æque ac Sommerseti
 Ducissa, quæ congruo equorum apparatu
 destituta Rothomagi adhucdum hærebat,
 solemnibus hujus pompæ spectatores erant.

§. XXII.

Harslevii urbis expugnatio.

Peractis hisce solemnibus Rex aliquam-
 diu Rothomagum præsentia honora-
 bat, ut Officiales nominaret, urbemque
 optimis legibus, atque institutis tempe-
 raret. Concredidit supremam Rothoma-
 gensis ditionis Præfecturam Petro Bre-
 zæo Pictaviensi Senescallo. Præterea
 singulæ pacis conditiones cum Anglis i-
 nitæ executioni datæ, præter solam Ju-
 liobonam, cujus urbis Præfectus, nomine
 Cursonius, deditionem pertinacius re-
 cusabat, & id quidem iniquiore Talboti
 fato, qui eam ob causam diutius obses
 detinebatur. Cum vero Sommersetus Dux
 Harslevium (aliis Arufluctum dicitur)
 Regi cedere constanter obluctaretur, Galli
 arcem

arcem natura, & arte longe munitiffi-
mam, quam spontanea deditioe non pos-
sent, per obfirmatam obsidionis violen-
tiam recuperare cogebantur, jamque o-
ctava Decembris die duodecim vel quin-
decim (nam variant rumores) armato-
rum millia urbem circumsidebant, & sex-
decim grandioribus tormentis quatie-
bant. Illuxerat vigesima quarta ejusdem
Mensis dies, qua obsessi de conditioni-
bus dedendæ urbis egerant, quam tan-
dem prima Januarii Victoribus cesserunt.
Sub idem tempus Alenfonii Dux Be-
lesimum obsidione pressit, occupavitque,
atque eodem belli auspicio Britannia
Dux, & Connestabilis Valoniam, & sex
septemve alia ignobilioris nominis loca
in Regis obsequium revocarunt, urbem
quoque Fulgerias, (*) quæ redintegra-
ti hujus belli fomes erat, post diuturnam
obsidionem denuo Britannia Dux recu-
peravit. Rex vero, qui totum fere men-
sem Novembrem Rothomagi agebat, an-
no sequenti universam Normanniam suo
imperio subjecit, Anglosque, succisa
omni redeundi spe, penitus inde propul-
savit.

§.XXIII.

(*) Golnitzius in suo itinerario Belgico-
Gallico hanc urbem vocat *Fugeresium* vel *Fu-
geranam*.

Hist. Eccles. Tom. XXVIII.

R

Sæcul. XV.

A.C. 1449.